DISSERTATIO MEDICA
De
CEPHALALGIA

Quam

DEO DIRECTORE SUPREMO

In Almâ Witebergensi

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

Amplissimo, Excellentissimo & Experientissimo

VIRO

DN. DANIELE SENNERTO,

Philos. & Medic. Doctore, Facult. Med. P. P. ejusdemque Collegii Seniore, nec non Serenissimi Electoris Saxoniæ Medico Ordinario, Dn. Præceptore ac Promotore suo, omni observantiæ cultu prosequendo

In Auditorio Medicorum ad diem 21. Aprilis

Horis consuetis

Placidæ dispositioni publicè subjicit



JOACHIMUS SPECHT

Mega-Glogan. Siles.

WITEBERGÆ,

Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

ANNO M. DC. XXX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



B. C. D.

I.

INter varia variorum morborum, quibus genus humanum diris durisq; affligitur modis, genera, non minimum censetur istud, cum nobilissima mentis humanæ arx impugnatur, & veluti rapidissimo dolorum mari exposita, à fluctibus materiæ contumacissimæ horribilissimis sursum deorsumq; hac atque illac rapitur, agitatur & tantùm non in totum deturbatur. De hac itaq; affectione, cum mihi detur copia in præsentiarum disserendi, brevissima mentis indagine in eam inquiram cum Deo feliciter.

II.

Cum apud Gal. & Græcos tria sint nomina, quibus dolores capitis indigitantur, videl. cephalæa, hemicrania, & cephalalgia; sciendum est hoc in loco non in specie considerari cephalæam, quæ teste Gal. 3. de loc. aff. 9. 2. de med. s. l. 2. Forest. l. 9. observ. 54. Fern. l. 5 de part. morb. & sympt. c. 1. describitur, quod sit capitis dolor diuturnus & difficulter solubilis, qui à levi occasione accessiones habet, ut neque strepitum, neque vehementiam vocis, neque lucis splendentiam, neq; motum æger possit tolerare; sed tranquillitatem & propter dolorem vehementem, cubiculum obscurum requirat, unde nonnulli veluti malleo se percuti arbitrantur; alii ea, quæ in capite sunt, contundi sentiunt, neque paucis ad radices oculorum usq; dolor extenditur, quinimò hujusmodi accessiones, veluti morbo comitiali laborantibus, aliqu. intermittunt.

III.

Neque etiam hîc tractatio instituitur de Hemicrania, quæ Gal. dicente 2. de comp. med. s. l. 3. Rud. Eustach. l. 1. de cap.

 dolor.

dolor. c. 1. Fern. l. 5. de part. morb. & sympt. c. 1. Forest. l. 9. obs. c. 58 Aet. l. 6. c. 69. Paul. l. 3. c. 5. etiam est dolorifica affectio, circa mediam capitis partem obveniens, plerumque per circuitus exacerbari solita, vaporum vel humorum defluxu, qui vel copia, vel caliditate, vel frigiditate infestent; ac quibusdam extra calvariam, quibusd. in profundo capitis; aliis circa temporum musculos acutissimus dolor percipitur.

IV.

Neque etiam de illa specie nobis hic sermo est, quæ Monopogia ab aliis dicitur, cum scilicet dolor unam capitis partem occupat, vel posteriorem vel anteriorem Forest. ibid. in schol. sed de tertia hoc loco agimus, putà de Cephalalgia.

V.

Quæ Græc. κεφαλαλγία Lat. capitis dolor, Germ. das Hauptwehe/Arabib. soda, ab affecta sede, quæ κεφάλιον, κεφαλή, vel κεφαλίς dicitur, quod caput afficiatur, & symptomate, denominationem suam sortitur.

VI.

Est a. affirmante Gal. 3. de loc. aff. 9. Excell. Dn. Præsid. l. 1. prax. part. 3. sect. 1. c. 3. Forest. l. 9. Obs. 1. in schol. Bruel. in praxi Theoric. & Empiric. c. 1. nihil aliud, quàm recens laboriosus capitis sensus, propter gravem ejus mutationem seu continui solutionem.

VII.

Subjectum hujus affectus est caput. Gal. l. 2. de comp. med. s. l. c. 1. Forest. ibid. Cl. Dn. Præs. l. 1. prax. part. 1. c. 1. 2. & seq. l. 1. part. 3. sect. 1. c. 3. Fern. eod. l. alleg. quod primariò per essentiam ex intemperie vel simplicissima videl. calore, frigore, siccitate; vel cum materia vel sine materia, ratione venarum, membranarum, nervorum, cutis &c. offenditur, ut quandoque unum tantùm harum partium genus, quandoque verò plura, pro ratione causarum concurrentium, invadat & corrumpat.

VIII.

Licet autem per illam affectionem caput lædatur, non tamen causa mali semper in capite hæret & generatur, sed eam etiam

etiam suppeditant reliquæ partes, quæ ab Avic. 1. 3. tract. 2. c. 6. 7. Forest. l. 9. obs. 41. 42. & seq. Excell. Dno. Præs. recensentur, quales sunt hepar, ventriculus, lien renes, uterus, hamech seu hypochondria, velamen seu diaphragma, intestina, pulmones, mammillæ in mulieribus, quibus aliquando ex retentione & computrescentia lactis, hic mali focus oboritur.

IX.

Utrum affectio præsens vel intra vel extra calvariam generetur, dignoscere facile est ex præsentia doloris. Nam si dolor ad oculorum usque radices extendatur, intra calvariam hæc existet; si verò non perveniat ad ipsa oculorum fundamina, extra calvariam commorabitur dispositio.

X.

Hujus sensationis dolorificæ cum variæ à plurimis statuantur causæ, eas prælibare necessum est. Quæ sunt vel continens seu proxima, vel remotiores, quæ sunt vel internæ, vel externæ.

XI.

Continens causa est solutio continui in partibus capitis sensitivis seu membranosis ex subitanea illa alteratione seu repentina mutatione producta.

XII.

Remotiores internæ sunt vel cum vel etiam sine materia.

XIII.

Sine materia sunt intemperies vel simplices, quando modò qualitatum una exsuperat; cum ex intemperie tantummodo calida hic dolor manat. Forest. l. 9. obs. 5. vel ex frigida Ib. obs. 6. sicca. obs. 8.

XIV.

Vel dantur compositæ, cum plures quam una intemperies, conjunguntur, calida & sicca, frigida & humida intemperies.

XV.

Cum materia verò sunt humores, quoscunque continent, cum quilibet humor vel seorsim ad producendam hanc passionem dolorificam accedit. Potest enim ex sanguine solo hic dolor causari, Forest. l. 9. obs. 10, 11. E bile flava obs. 15. pituita obs.

17. 19. vel melancholia obs. 20, 21, 23. Vel conjunctim cum reliquorum commixtione progenerari. Quod ipsum Claris. Medicor. unanimis consensus satis superq; confirmat. Nam è sanguine bilioso cum phlegmone erysipelatosa in facie, Forest. obs. 12. l. 9. E bile cum pituita mixta ejusd. l. obs. 16. &c. optimè hoc symptoma pronascitur.

XVI.

Unde non immeritò ex his conflatis obstructio vasorum & meatuum capitis excitatur. Nam dum hæc viarum eò humores ducentium præclusionem molitur, vaporumq; transitum ordinarium & lege naturæ præscriptum prohibet, ipsis transeuntibus partes resistunt, & per hanc resistentiam patiuntur continui solutionem indubitatam. Quinimò pars obstructa per humoris obstruentis qualitatem, pravam & nimiam quantitatem inæqualiter afficitur & pristino sanguinis spirituumq; influxu liberiori defraudatur, & transpiratione consueta privatur.

XVII.

Et cum his causis conjuncta est interdum occulta aliqua & venenata qualitas, ut in lue venerea aliisque morbis cernere licet; in quibus manifestis qualitatibus etiam deleteria, & menti nostræ vix obvia dispositio, associatur.

XVIII.

Quibus omnibus adjungunt plurimi aliam etiam causam, vermes nimirum. Licet enim sint aliqui, quibus animus est negare, vermium generationem in capite vel ejusdem partibus non posse admitti. Illorum tamen rationibus neglectis certò certiùs nobis persuasum habemus, hos eo ipso in loco reperiri & per consequens capitis dolores producere. Id quod calculo suo comprobat Avic. l. 3. fen. 1. tract. 2. c. 3. in hunc modum asserens, Medici Indi dixerunt, quod quandoque in causa Sodæ sint vermes, geniti in capitis partibus, motu suo lædentes, tensione & corrosione sua; & quidam removerunt hoc; sed non est necessarium, ut removeatur. Nam vermes multoties nascuntur in anteriore capitis parte. Holler. & Francisc. Hilds-

heim.

heim. in ſpecileg. Rud. Euſtach. l. 1. de cap. dolor. Cl. Dominus Præſes l. 1. prax. part. 1. c. 15. & 18. Quod ipſum indicat dolor cum roſione quadam & cum pruritu in naribus, Ibid. l. 1. part. 3. ſect. 1. c. 3.

XIX.

Antecedentes verò ſunt intemperies quælibet, vitioſor. humorum, vaporum, Foreſt. l. 9. obſ. 26. & flatuum generatrices. Inprimis autem capitis & univerſi corporis pro implendo humore diſpoſitio accommodatiſſima; nimirum habitus corporis, in quo flatulentus ſpiritus & vaporoſus progignitur, aut in quo bilioſa excrementa in ore ventriculi colliguntur.

XX.

Viſcerum obſtructiones, menſtruor. aut hæmorrhoidum, aut alterius cujusdam evacuationis continuandæ ſuppreſſiones, pravi ulceris in parte aliqua intempeſtiva occluſio. Ευπάθεια, ortum habens vel à capitis imbecillitate, vel ſenſus etiam exſuperantia. Hinc eſt quod odorum vel etiam aliarum rerum vehementem fragrantiam alii tutò & ſine moleſtia ſuſtineant; alii verò non ſine inſigni læſione illam perferre ullo pacto valeant.

XXI.

Procatarcticæ ſunt res omnes præternaturales, utpote cibus & potus tàm quantitate, quàm qualitate peccans, ut ſunt lac, allia, cepæ, raphanus, dattyli, nuces, crocus, ſinapi, rapæ, vinum, cerevisia nondum defecata, glandes quercinæ, Foreſt. l. 9. obſ. 27. Ciborum defectus nimius; ſomnus & vigiliæ obſ. 14. exceſſum vel defectum importantes; immoderatus & inordinatus corporis & animi motus obſ. 4. Vel etiam quies, venerisque uſus. obſ. 29. Excretor. & retentor. vitium, impreſſa aeris frigiditas, nebuloſa aliaque aeris depravata conſtitutio. Ventorum, & inprimis Auſtri malitia, diuturna ſub Sole & alterius ignis ardore mora, obſerv. 1. Aromatum ſuffimenta & omnium calidorum odoramenta. Capitis tegumentum; frequens capitis lotio, animiq; παθήματα.

Quibus

XXII.

Quibus accedere debent quoque illa, videlicet incidentia, contundentia, ferarum venenatarum morsus & similes, quas Gal. l. art. med. c. 85. fusius recenset. E casu in aquam frigidam contracto, Forest. l. 9. obs. 7. vel quem subsequebatur obmutescentia & desipientia obs. 30. Ex offensione obs. 31. contusione cranii & malis accidentibus obs. 32. vel cum vulnere 35. ex vulneris curari remanentia, obs. 34.

XXIII.

Enumeratis enumerandis jam causis; differentiæ quoque, lege methodi accuratissimæ præscriptâ, veniunt æquissimâ rationis lance pensitandæ: quæ sanè sunt multiplices, pro conditione subjecti, causarum efficientium & durationis modo consideratæ.

XXIV.

Pro subjecti natura differt cephalalgia: alia enim fit per ἰδιωπάθειαν s. essentiam; alia v. per reliquarum partium συμπάθειαν seu consensum.

XXV.

Per essentiam quidem, cum scilicet materia continuum solvens & dolorem creans in ipso consistit & generatur. Clariss. Dn. Præs. l. citat. Massar. l. 1. c. 2. de dolor. cap. quæ provenit vel ab obstructione Forest. l. cit. obs. 40. vel ab imbecillitate simplici obs. 38. vel ab imbecillitate cum catharro connexa. Horst. l. 2. obs. 4. vel sensus acuitate. For. obs. 39.

XXVI.

Vel ratione consensus ad reliquas partes; quando materiæ fomes ad caput derivatur; sive eô attractô à dolore aut calore; sive ad caput debile transmissô ab aliis partibus robustioribus, idque vel motu Critico vel symptomatico. Transfertur a. materia vel à toto, vel ab aliqua parte corporis. Cl. Dn. Præs. l. anteà denominato.

XXVII.

A toto corpore, quod ipsum accidere experimur in febribus, vapores in plethora quidem probati; in cacochymia v. mali sunt humores. Ib.

A parte

XXVIII.

A parte verò, nimirum vtero, fertur materia ad caput vel per retentionem, vel per obstructionem sanguinis menstrui & hæmorroidum. Forest. obs. 41. 51. Horst. l. 2. obs. de cap. morb. obs. 14.

XXIX.

A ventriculo, pituitosus humor ibidem collectus Forest. l. 9. obs. 45. Ab intestinis obs. 47. ab hepate obs. 48. renum calididitate obs. 50. Splene obs. 49. à stomachi vitio è vaporibus ab humorum cruditate ad caput translatis, obs. 44.

XXX.

Pro secundo differt cephalalgia ratione causarum efficientium, & quatenus secundum causas efficientes hunc dolorem discernit.

XXXI.

Etenim ex humore seu vapore bilioso & acerrimo membranas offendente, fiunt dolores pungentes seu erodentes.

XXXII.

A flatuum aut humorum leviorum abundantia, qui inter calvam & pericranium, vel inter calvam crassamque meningem existunt, & membranas, ab osse diducunt, fiunt distendentes Fern. l. specificat. A plenitudine, maximè verò ab humorum crasſitie, oriuntur gravativi.

XXXIII.

A bilioso, eoque sanguine tenui vel à copioso spiritu, quo arteriæ turgentes vehementius pulsantur & membranæ conquassantur, pulsativi enascuntur dolores. De quibus prolixius agit Gal. 2. de loc. aff. c. 1.

XXXIV.

Offertur etiam tertia differentia, à modo durationis diuturno vel breviori deprompta.

XXXV.

Aly dolores pro materiæ copia diu durant; aliqui citò & præter expectationem evanescunt: alii continuo affligunt; quidam verò per intervalla membranas feriunt.

XXXVI.

Alii etiam sunt recentes; alii inveterati, qui ut plurimum ob partis imbecillitatem vel causæ alterius frigiditatem contingunt.

XXXVII.

Alii sunt vehementes, ob corporis membranosi fortem invasionem unde Gal. l. 7. de comp. med s. l. c. 1. dicit, vehementissimi dolores fiunt juxta caliditatem & frigiditatem, maximé si inæquales existant sive citra materiam sive cum ea infestent, ut, Avic. probante, si occurrat syncipiti infantis, habentis ossa exigua & tenuia, separet ipsa quoque & rumpat commissuram. Alij vero remissiores, prout graviter vel leviter in subjectam partem materia agere apta nata est.

XXXVIII.

Signa ipsa quod attinet, ea sunt duplicia, vel diagnostica vel prognostica.

XXXIX.

Diagnostica, quæ præsentem dolorem, ceu symptoma molestissimum, nunciant, ex ægri, adstantium & assidentium relatione. Quæ desumuntur vel ab ipso loco affecto, qui aut per essentiam aut per consensum hoc symptoma patitur; vel etiam ab aliis rebus.

XL.

Nam si dolor sentitur in capite proprius, tum solùm caput, reliquis, extra hoc, membris illæsis, hunc percipit, dolorisque sensus est stabilis & permanens. An verò hic vel intra vel extra calvariam subsistat, suprà th. 9. est explicatum. Unde si materia membranas lædit, dolor est pungitivus, si tendines & nervos est acutus; si arterias, pulsans; se ipsam substantiam obtusus & gravativus, oritur. Fern. l. supra citat. & Massar. eod. l. nominato.

XLI.

Si verò dolor promovetur per sympathiam, noscitur ex eo, quod sensus capitis cum alterius consentientis dolore ita cohæreat & reciprocetur, ut ad illius augmentum increscat, ad diminutionem imminuatur, & ad abolitionem cesset penitus.

Deinde

XLII.

Deinde sumuntur etiam signa diagnostica vel à caussis internis, vel externis, quas sequentibus th. contemplabimur.

XLIII.

Ab internis, vel ab intemperie simplici, vel composita.

XLIV.

Intemperiei simplicis & quidem Calidæ signa sunt, calor in capite & illius apparens, oculorum atque totius faciei rubedo insignis, dolor vehemens, ariditas cutis cum ardore ad tactum persensilis, ira magna, in horas æger est mutabilis, præcesserunt causæ calefacientes, vel mora sub Sole, vel usus calidorum immodicus, juvantur à frigidis, læduntur à calidis.

XLV.

Frigidæ signa sunt, nulla in capite caloris datur perceptio, nulla oculorum, frontis vel alterius partis rubedo, nullus ardor conspicitur, nulla cutis ariditas sese prodit, propensio ad somnum timorisque magnitudo adest. Præcesserunt caussæ frigidæ, venti Austrini & nimius frigidorum usus, firmantur à calidis, offenduntur à frigidis.

XLVI.

Siccæ intemperiei signa sunt excrementorum narium, oculor. palati auriumque, paucitas, oculor. cavitas, cutis, sine fervore tamen, ariditas, vigiliarum præsentia; præcesserunt pervigilia magna, animi corporisque labores, usus exsiccantium. Delectant & prosunt humectantia, incommodum præbent summum, exsiccantia.

XLVII.

Signa intemperiei compositæ itidem sunt multa pro ratione humoris prædominantis, orta quidem vel ab humore sanguineo, bilioso, pituitoso, melancholico ac flatuoso.

XLII X.

Signa humoris sanguinei, cephalalgiam procreantis sunt dolor tensivus & gravans, calor capitis, oculorũ & faciei rubedo

 percep-

perceptibilis, tumor venarum, temporum pulſatio, ariditas cutis manifeſta, oris dulcedo; progreſsio facta eſt temperamenti calidi & humidi, uſus calefacientium, lotiones & illitiones crebræ, exercitia nimia, conſuetæ evacuationes ſanguinis fuerunt ſuppreſſæ, urina rubra, adeſt flos ætatis, plethoricis corripitur morbis, à frigidis levamen, à calidis moleſtiam capit æger.

XLIX.

Ab humore bilioſo adeſt dolor mordax, erodens, capitis caliditas immoderata, dolor capitis intenſus, faciei color citrinus, os amarum, ſitis magnitudo, ſomnus de contentionibus, jurgiis & rixis, urina flava & tenuis, vigiliæ, Cerebri excrementa ſunt pauca, aurium verò multa & flaveſcentia teſte Excell. Dno. Præſ. l. 1. prax part. 1. c. 9. præceſſerunt bilem progenerantia, ætas juvenilis, hepatis caliditas & ſiccitas, regio annique tempus calidum & ſiccum, æſtivum videlicet, bilioſa victus ratio, laborum, vigiliar. inediæ & animi affectionum exceſſus. Juvantur à frigidis, & bilem evacuantibus, corrumpuntur à calidis & exſiccantibus.

L.

Signa humoris pituitoſi ſunt, dolor mitis, nec ita vehemens ut in reliquis, ſine ulla mordacitate, faciei pallor, ſomni profunditas, ſomnia de rebus humidis & animalibus in ejusmodi locis degentibus, ſenſuum hebetudo, motus pigritia, excrementorum ſuperfluitas, ſitis nulla, pulſus tenuitas, urina turbida. Præceſſerunt edulia pituitam foventia, temperamentum frigidum & humidum, ægri ætas, ſexus, anni tempus, regio. Juvantur à calidis & exſiccantibus, nocumento ſunt perquam maxumo pituitam augentia, caput frigefacientia & humectantia.

LI.

Melancholici humoris ſigna ſunt ſequentia, capitis gravitas, venarum deliteſcentia, facies decolor, cogitationes profundiſsimæ, dolor gravativus, exiguâ quad. vehementiâ commixtus, excrementorum paucitas, mœſtitia, timor & moeror, ſapor acidus, ſollicitudo, corpus extenuatum, vigiliæ. Quibus addi poſſunt temparamentum, anni tempus, ætatis declinatio, regio

& ali.

& alimenta, quæ magis atque magis hunc humorem coagmentare queunt. Proficiunt ea, quæ melancholiam in totum exterminant, officiunt in contrarium, quæ istum capitis hostem fovent, atq; conservant.

LII.

Tandem & flatuosorum spirituum hic apponenda sunt indicia, capitis levitas, sonitus, tonitus, strepitusq; aurium, doloris tensio absque gravitate, doloris inquietudo, capitis arteriar. pulsatio validior, excrementorum exigua excretio. Antecesserunt victus inordinati & immoderati, calor debilitatus, ætas, temperamenti ejusmodi constitutio & alia, quæ accumulandis his operam suam communicant & penitus dicant. Adjumento sunt ea, quæ pro dissipatione horum facere possunt, detrimento verò habentur, quæ hos flatus in horas atque dies firmando adaugere possunt.

LIII.

Externarum causarum signa clarius exponuntur ex ægrotantis, assidentium & adstantium relatione, quæ etiam è rebus præternaturalibus supra specificatis, morsuque ferarum venenosarum, incisione, casu, sectione, contusione, & distensione, ac similibus corpus mirâ cum violentiâ offendentibus, significantur.

LIV.

Cognitis causis per essentiam cephalalgiam efficientium signis diagnosticis: jam quoque restant ea declaranda, quæ per communicationem nobis sese offerunt perceptanda.

LV.

Signa ventriculi sunt nausea, inappetentia, ἀπεψία, oris ventriculi amaritudo, hujus dolor & morsus, compressio, imprimis si cibi, prava qualitate & quantitate præditi, fuerint ingesti, & si pro horum ratione increscente crescit, & his diminutis aufertur cephalalgia.

LVI.

Uteri signa internoscuntur, si menstrui sanguinis vel hœmorrhoidum suppressio, præstò sit, vel si humores in utero sub-

ſiſtentes & inibi putreſcentes, per ſpinalem medullam ad ſuperiora vergentes, cerebrum contundant.

LVII.

Ex hepate ſigna obſervantur, per dextri lateris dolorificam ſenſationem, murmurationem, calorem, gravitatem, ſummam caliditatem, ſitim ingentem, oris amaritiem, urinam citrinam, ac rubram, pulſus velocitatem, cibi appetentiam exiguam, faciem decoloratam, gracilitatem corporis univerſi, & qui peti poſſunt ex Maſſar. l. 3. de dolor. hepat. c. 11.

LIIX.

Splenis indicia monſtrantur, ex ſiniſtri hypochondrii dolore, tumore, oris aciditate & aliis, quæ humorem melancholicum ſubſequuntur, notis, luce meridianâ clarioribus.

A ſignis diagnoſticis ad prognoſtica, nobis ordine doctrinæ inſtinctis, eſt faciendum divortium, quæque hic notanda erunt, rationis trutinâ ſunt trutinanda, ut ad metam præfixam nobis eò feliciùs, velociùsq; pervenire liceat.

LIX.

Dolor capitis in cute vel pericranio capitis ab externa cauſa excitatus, aut ſi ab interna, â flatibus vel à materia non admodum copioſa & craſſa, vel ab intemperie, quæ in habitum nondum abiit, oriatur, faciliùs curatur, quàm qui meninges obſidet, vel à contrariis cauſis ortum habet. Clariſs. Dn. Præſes l. 1. prax. part. 3. ſect. 1. c. 3.

LX.

Quibus per febres urinæ turbatæ, quales jumentorum, ijs dolor capitis vel adeſt vel aderit, Hipp. l. 4. aph. 70. Colligitur enim è tali urina, adeſſe humoris copiam crudam & craſſam, & ſpiritu flatuoſo refertam, ab externo aliquo errore excitatam, unde flatus, externi caloris beneficio ad ſuperiores capitis partes transmittuntur, & quidem aut ſoli, aut cum aliis vaporibus calidis permixti.

LXI.

Dolor capitis continuo affligens, ſomnique bonitatem deſtruens, periculo non vacat, inſaniem enim in propinquo adeſſe ſignificat, & maximè, ſi vomitus accedat ruginoſus. Bruel. in praxi Theoroc. & Empiric. c. 1.

Qui

LXII.

Qui valentes, repentè capitis doloribus corripiuntur & protinus muti fiunt ac stertunt, intra septem dies inteerunt, nisi febris eos prehenderit Hipp. 6. aph. 51.

LXIII.

Qui capitis dolore, siti, levi pervigilio detinentur, obscurè loquuntur, ad motum impotentes, humescente alvo lassitudine vexantur, in iis fortasse insania est metuenda. Ib. in Coac. prædict. sect. 2. aph. 175.

LXIV.

Caput dolenti & vehementer laboranti pus aut aqua, vel sangvis per nares aut os, aut aures effluens, morbum solvit. Ib. aph. 10.

LXV.

Quibus dolores capitis & frontis fiunt, tum ex ingentibus ventis, tum ex frigore post æstum vehementem, eos gravedines potissimùm quidem omninò liberant. Item in coac. prædict. l. 2. sect. 2. text. 30.

LXVI.

Quos verò dolores sine causa & diuturni & totum caput occupantes jam graciles & viribus exhaustos affligunt, in iis attendendum, morbum priore longè esse graviorem: Quod si in cervicem & dorsum relicto capite dolor descendit, rursusque in caput recurrit, adhuc gravior est æstimandus. At omnium maximè terret, si à capite ad cervicem & dorsum pervenit. Eos v. juvari spes est, si abcessus aliquis eruperit, aut pus tussi rejectum fuerit, aut sanguinem per ora venarum fundere sint soliti, aut pustulæ toto corpore pullularint. Ex usu etiam est, caput porrigine tentari Ib. text. 10.

LXVII.

Capitis dolor cum sopore & gravitatis sensu quodammodo convulsionem accersit. Item in Coac. prænot. sect. 2. aph. 174.

LXVIII.

E capitis dolore liberat pus è naribus effluens, aut sputa crassa & inodora. Liberat quoque eruptio ulcerum, interdum etiam somnus ac alvi fluxus. Ib. aph. 172.

Vlterum

LXIX.

Uterum gerentibus capitis dolores soporosi cum gravitate obvenientes, mali sunt. Fortasſis autem his etiam convulsivum quid pati contingit. 1. prorhet. comm. 3. aph. 11.

LXX.

Ex his præsuppositis cum satis luculenter appareat, in quæ vitæ discrimina hoc affectu laborantes præcipitari poſsint, in primo igitur aditu statim eâ, quâ fieri par & poſsibile est, ratione, venienti malo est occurrendum, ne dum hoc radices quasdam egit, altiores forte fortuna figat, unde postea periculũ in mora fiat, nulloque modo eradicetur funditus. Quod ipsum commodiſsimè instituetur per fontes auxiliorum à Medicor. Schola præscriptus sc. Chirurgicum, pharmaceuticum & diæteticum.

LXXI.

In curatione cephalalgiæ duo proponuntur, quorum nobis accuratiſsima ratio est habenda, si hostem capitis infensiſsimum fugare velimus; quæ sunt dolor & hujus causæ.

LXXII.

Dolorem quod spectat, qui sui ablationem monstrat, postposita indicatione, ab hac decerpta, si vigiliæ non adesse videantur, anodyna sunt præscribenda, qualia sunt, chamomelum, oleũ amygdal. dulc. lac muliebre malua, violaria, adeps vitulinus, anserinus, semen lini & fœnugræc. olea de vitellis ovorum.

LXXIII.

Si verò doloribus aſsiduis & intensioribus adhuc pervigilia interveniant; ex quibus ægri vires diminutionem patiantur, periculumq; sit, ne ægrotus per intolerabiles cruciatus enecetur; accedendum est ad narcotica in quorum numero sunt solanum, semper vivum, nymphea, mandragora, opium, papaveris capita, progrediendo nimirum à minoribus ad majora, à blandioribus ad validiora, & probè notando ne hujusmodi medicamenta, comprobante Clariſs. Dno. Præsid. l. 1. prax. part. 3. sect. 1. c. 3. suturæ coronali, quo loco leviſſima & aptiſsima cerebri datur penetratio, nec etiam occipiti, ubi principium nervorum atque adeò ipsius spinalis medullæ origo statuitur, apponantur, sed fronti applicentur.

C

Per

LXXIV.

Per hanc adhibitam curationem, si dolor non cesset, sed potius augmentum sumat, inquirendum est accuratiùs & penitiùs in ejus causas. Quæ tamen, ut suprà satis jam satis est ostensum, sunt vel sola intemperies, vel etiam materia.

LXXV.

In principio, dum causa doloris à calore ortum suum haurit, deprædicatur perplurimùm à Rud. Eustach. l. 1. c. 1. de dolor. capit. Clariss. Dn. Præsid. ut & Massar. l. alleg. aliisq; Medic. oleum rosaceum syncipiti affusum, aut fronri vel temporibus, ope & opera alicujus lintei admotum. Et si dolor sit vehementior, ut fortiùs penetratio promoveatur; acetum rosaceum est addendum. Quare usus est magnus oxyrrhodini, à Rhase, Mesue & aliis hunc in modum præparati. Resp. aq. rosat. ℥iv. ol. rosat. ℥ij. aceti ℥j. M.

LXXVI.

Si fortè majort prærequiratur refrigeratio, possunt etiam præscribi reliqua. Succus lactucæ (cujus beneficio Antonius Musa Augustum ab ancipiti morbo curasse fertur. Heurn. l. 2. prax. c 7.) nymph. plantag. 4. sem. frigig. major. prout ardoris magnitudinem, corporis habitum, ætatem, sexum & alia animadvertimus. Convenit etiam odorare violas, rosas, salices, teste Rhase.

LXXVII.

Victus ratio quoque habeatur; aër sit frigidus, sive talis natura sive arte, per strata in cubiculo folia salicis, vitis, flores rosar. violar. vel lintea aquâ frigidâ vel rosac. madida, ad parietes cubiculi suspensa, paratus; optimè perspirabilis, vitandus est Solis calor & alia calida; fugienda animi pathemata, intermittenda, balnea, immodicæ vigiliæ. Utatur piscibus petrosis & teneritate carnis dotatis, cremore ptisanæ, carnibus gallinar. malis punicis. Potus sit aqua hordei, borraginis, &c. Abstineat à vinis generosioribus, imò negligat omnia, quæ hunc dolorem cumulare valeant.

LXXVIII.

Cephalalgiæ per frigidam intemperiem obortæ parentur calefacientia; qualia sunt fœnic. caryoph. aneth. beton. thus,

nux moschat. lauri folia & baccæ. Cinam. zedoar. ol. laurin anethin. succinum, hyssop. primula veris, rosmarin. nigella sem. anis. E quibus medicam. conficiuntur, tùm internè, tùm externè exhibenda· Quæ apud Clariss. Dn. Præs. l. 1. prax. part. 1. c. 2. videantur. Laudantur etiam in hoc casu vina medicata, linguæ cervinæ, salviat. rorismar. & Claret. ab Eod. in Instit. l. 5. part. 3. sect. 3. c. 4. annotatum.

LXXIX.

Ab intemperie ista deductus dolor per diætam justam diminuatur, necessum est. Aerem frigidum fugere & calidum sive natura, sive arte talem quærere oportet. Naribus admoveantur poma odorata, & alia odorifera. Vinum bibatur tenue, cibi condiantur aromatibus moderatis, vel caryoph. mac. roremar. majoran. Carnes dentur pullor. phasianor. perdicum, gallinar. Excitia sint moderata, animi affectus, ira, gaudium, timor & tristitia planè propellantur.

LXXX.

Dolor capitis movetur etiam ex intemperie sicca, qui nonnisi contrariis gaudet; quæ sunt humectantia; fl. ros. violar. poma dulc. fol. borrag. bugloss. pinguedo gallina, anserina, sem. fœnugræc. sem. 4 frigid major. Cydon. syr. borragin. acetosell. aq. lactucæ, violar. buglossæ.

LXXXI.

His non immeritò diæta adjungitur; aer sit humidus, somnus longior. prodest cibi humiditas, bonitas, multiq; nutrimenti, ut sunt ova sorbilia, caro gallin. avium & jura ex his decocta, lac, vinum sit dilutum. Dulcium aquar. balnea. Nocent evacuationes immoderatæ, vigiliæ, animi παθύματα, ira, tristitia, mœror, labores. Utilis est corporis animiq; tranquillitas, quæ, ut in optima corporis habitudine constitutis mira profert commoda, ita & in ægrotis non è re erit minimâ.

LXXXII.

De temperie composita, quam interd. occurrere thes. 14. diximus, curanda, non est, quod diu multumq; sollicitus quis esse velit: cum ex simplicium cognitione, composita facillimo labore dignoscatur. Itaq; ne crabem toties recoquere videamur eandem; progressum facimus ad intemperies cum materia copula-

pulatas, quæ ſunt humores vel vapores; aut in capite procreati & congregati ex imbecilla & depravata alimentor. coctione, ob partium cerebri & capit. δυσκρασίαν, ex qua excrementor. provẽtus oritur admirabilis: aut aliunde ad illud transmiſſi, ab hepate, ventriculo &c. ob crudos & maximè vitiatos cibos ſeu errorem primæ, aut ſecundæ, aut tertiæ coctionis commiſſum, ob quem excrementor. cumulum gigni, ipſa res & experientia omnium rer. magiſtra, loquitur. Unde ab inferioribus ad ſuperiora deferuntur vapores, vel eò beneficio caloris & doloris aucti atq; aliarum rerum attrahuntur. Intemperiei v. cum materia principalis cauſa eſt humor vel ſanguineus, bilioſus, pituitoſus, vel melancholicus, aut flatulentus.

LXXXIII.

In cauſa, ab humore ſanguineo excitata, ſi vires, ætas & alia permiſerint, media cubiti vena eſt ſecanda, ſanguisq́; pro ratione plenitudinis, temperamenti, regionis, ætatis, ſexus, anni temporis & ſimilium eſt mittendus: & ſi iteratio ſanguinis eſt neceſſaria, ea non omittenda, ac à mediæ ſectione ad ipſam cephalicam eſt transeundum; vel incidenda baſilica, ſi à toto corpore vel ab hepate copia iſta ad caput elevetur. Quinimò Gal. 2. de med. ſ. l. 2. dicit, ſi dolor perſeveret, venas quoq; naſi & frontis aperire licet, maximè, ubi poſterior capitis ſedes dolorem ſentit, quemadmodum ſi quando ſyncipur doloris ferocia occupat, cucurbitula cum ſcarificatione occipiti affigitur. Et Hipp. 5. aph. 68. parte capitis poſteriore dolenti in frontem rectà excurrens vena inciſa prodeſt.

LXXXIV.

Verùm ex lege Gal. 13. meth. 19. incipientes & vigentes capitis gravitates & dolores ex plenitudine, revulſio per cucurbitulam in occipitio poſitam vel ſola vel cùm ſcarificatione, præmiſsâ corporis evacuatione, juvat. Evacuantia talia ſunt, caſſ. extract. catholic. pill aureæ, cochiæ, cum aq. borrag. Neq; hic repellentium uſus parvi faciendus eſt, quæ humores ad caput affluentes retrahant, & propulſent. Inter quæ primariò deprædicatur uſus oxyrrhodini th. 75. deſcripti. Convenit etiam nymph. ſolan. lactuca.

Possunt quoq; præscribi discutientia humorum reliquias, ol. chamom. anethin. item sambuc. hyssop. sem. lini. Quibus addēda sunt corroborantia, mala citrina sacch. condita, succ. granat. ribes, barbar. conserv. acetos. endiv. ros. & placentæ rosar. offic. ita dictæ; Nam suavitate odoris cerebrum reficiunt, recreant & relaxant, ac ab eodem vapores arcent.

LXXXV.

Aër curetur moderatè frigidus & siccus; cibus frigefaciens & tenuis, ut cibor. parsimonia & tenuitate imminuatur materia; vitetur vinum, si tamen indulgendum, id sit aq. convenienti dilutum, fructus sint pruna Damascena, caro cydon. sacch. condita, Moderentur exercitia, ira, ægritudo, intensæ post cibum sumtum meditationes.

LXXXVI.

Porrò si his non cedat malum, sed adhuc tenaciùs subsistat; indicio erit sanguinis massam non ampliùs puram, sed alium humorem esse mixtum. Propterea ad reliquos humores est deveniendum.

LXXXVII.

Humoris biliosi si adest nimia quantitas, illa est evacuanda & à capite avertenda. Quod certè, si abundet simul sanguis, efficitur per sanguinis missionem, vel etiam venæ basilicæ sectionem ratione jecoris, vel cephalicæ, ratione capitis, vel mediæ, utriusq; respectu.

LXXXVIII.

Materia verò priùs ritè præparetur, per aq. endiv. viol. syr. acetos. ros. Deinde expurgetur per electuar. lenitiv. rhabarb. electuar. de sebesten, spicæ gran. Discutiatur per chamom. melilot. sem. fœnugr. fl. ros. viol. sem. lactus. ol. ros. chamom.

LXXXIX.

Corroboretur deniq; fl. ros. viol. aq. endiv. vel cons. borrag. rosar. lactuc. Italic. condit. spec. diamargarit. frigid. & diatragac. frigid. fol. lactuc. portulac. ol. chamom. quod præcipuè à multis commendatur.

XC.

Respectu diœtæ, cuncta debent esse frigida & humida. Aër frigidus & humidus esto; cibi frigidiores ac humidiores, pisces petrosi, cremor ptisanæ, carnes juniorum animalium. Sibi temperet æger à vino, utatur potiùs aqua decocta hordei, cerevisia

tenui

tenui. Utilia sunt balnea modica, vigiliæ nocent, exercitia corporis & animi motus sint temperata.

XCI.

In cephalalgia ex humore pituitoso conflata conveniunt foenic. sambuc. salv. origan. capill. ♀, radix ireos, sem. anis. rosmarin fl. stoecchad. quæ capiti peculiariter prosunt. Mel rosat. oxymel simplex, & in admistione humoris serosi mechoacanna, cortic. sambuc. manna, agaricus fl. persicorum Pro evacuatione humoris dantur quoque hyssop. beton. sem. anisi in aq. comm. decoct. cass. extract. Agaric. cartham. decoct. ligni guajaci. electuar. catholic. pill. de agarico, sine quibus, aureæ.

XCII.

Residua materia est discutienda per medicamenta ista; quæ sunt acorus conditus, radix cyclamin. ireos, mastiche. succus vel aq. majoran. piper, nicotiana, fol. citri, hyssop. ruta, salvia, nigella. Gal. 2. de comp. medic. s. l. c. 2. Avic. tetrab. 2. serm. 2. c. 48. utuntur verbenaca erecta, quæ certè insignem fructum suppeditat in humoribus discutiendis & amovendis, sive ex aliqua frigiditate, sive etiam aliis humoribus crassissimis deductis & progeneratis.

XCIII.

Pars affecta corroboretur per nuc. moschat. cubeb. cardamom. cinam. majoran. rosmar. conserv. anthos, piper. & acor. conditum. Excell. Dn. Præs. decoct. sarsæ parill. Chinæ & si majore exsiccatione & calefactione opus sit, ligni Guajaci usum, l. 1. prax. part. 1. c. 10. extollit.

XCIV.

Aer sit calidus & siccus, non tamē in excessu & defectu peccans, cibus sit parcus, carnes sint facillimæ resolutionis & coctionis, utpote caponum, columbar. & alior. animal, probè condiantur aromatibus. Pisces evitent, lacticinia, legumina, olera Juvant à passulæ, uvæ, anisum, foenic. sacch. confect. Potus, sit aq. cinam. decocta vel è salvia, lingua cervina. Somnus sit moderatus, animi affectus, moeror, tristitia, leniantur.

XCV.

Humor melancholicus, cephalalgiæ autor, id curatur per Chirurgiam, qu; indicia plenitudinis & reliquar. consentientium

 sese

ſeſe exhibent. Itaq; vel è vena cephalica, vel ex communi aliqua ſi plenitudo & capiti & corpori moleſtiam parit, ſanguis eſt evacuandus. Hujus a. notificationibus nullis vel exiguis perſpectis & non urgente neceſſitatis caſu, ipſa pharmacia conſulenda, & quæ ex ea peti poſſunt, huc transferenda, ſuntq; thymus, epithym. radix fœnic. viola purpur. roſa, radix bugloſſ. ſtœch. Arab. fumar. roſmar. fol. ſenæ, polipod. quern. confect. hamech. Elect. diaſen. ſyr. de epithym.

XCVI.

Pro revellenda materia contumaci faciunt frictiones, ſcarificationes, cucurbitulæ tàm ſcarificatæ, quæ fortiùs pro rei exigentia revellunt, quàm non ſcarificatæ; hirudines partib. inferiorib. applicatæ, frictiones crurum &c.

XCVII.

Corroborantia partem affectam ſunt, borrago, roſæ, meliſſa bugloſſum, margirit. confect. Alcherm. conſerv. borrag. acetoſell. Elect. Almanſoris lætificans, citri condit. confect. propter atram bilem admiſceantur, corroll. lapis Bezoardicus, bolus Armen. aq. nymph. roſ. ol. chamom. Capitis lotiones ex decoct. nymph. malv. fl. chamom. borrag. viol. fiant.

XCVIII.

Aer eſto calidus & humidus, natura vel arte talis cibus, præter caliditatem, magis vergat ad humiditatem, ptiſana, juſcula carnium, ova ſorbilia recentia, piſces ſaxatiles nec fumo indurati nec dentur alia melancholicum humorem moventia & promoventia. Vinum bibat tenue, aut ſi fortius & generoſum eſt, diluatur aq. endiv. cichor. Moderationem ſervet in corporis exercitus & animi motibus, inſtigetur ad lætitiam & animi tranquillitatē; deducatur à triſtitia & molli defluat luxu. Excrementa ejiciat, ſomnus longus concilietur, vigiliæ interdicantur.

XCIX.

E flatulento vapore, qui promanat dolor, per medicamenta, materiam huic ſuggerentem, & qui ex eâ, tanquam è perenni fluxu ſcaturit, diſſipantia, exterminatur, obſervatis iis, quæ flatus diſcutiunt, utpote ſem. aniſi, aneth. carvi, baccæ lauri, ſpec. aromat. roſat. & legitimam diætam apparant, ne forſitan de novo

caput

caput repleatur, & ægrotus recidivum affectum sustinere cogatur.

C.

Factis hoc modo faciendis & declaratis rudi Minervâ declarandis causis cephalalgiam per essentiam gignentibus: superest causas, per consensum, dolores, accersentes, curare easque profligare pleniùs. Ubi vel à toto corpore, vel à parte tantùm aliqua corporis hoc malum progerminat.

CI.

A toto corpore causas advenientes curare & pellere longum foret, cum hæ à febribus in corporis œconomia commorantibus pullulent & fusiorem curam, quàm quæ in hac brevissima dissertatione non commodè satisq; benè peragi potest, exigant. Satius itaque putamus esse, tacere, quàm de iis paucissima proferre & leviter pertractare.

CII.

Materia doloris ori ventriculi innatans, aptissimè per evacuantia amovetur, qualia sunt medicam. vomitoria, si patiens inclinet ad vomitum; quæ sunt aq. tepida, aut decoct. sem. raphani, addito modico olei pro facilitate vomendi expeditiori: vel aq. tepida cum oxymel. vel aq. decoct. cum sem. fœnic. & raphan. Paul. l. 3. c. 4. Potest etiam alio modo expelli materia, videlicet manna, rhabarb. express. in aq. cichor. Electuar. lenitiv. & catholic. hiera simpl. & compos. pill. de aloë lota, stomach. cum aq. endiv. syr. de menta, hyssop. stœchad.

CIII.

Si materia latitat in tunicis ventriculi quasi impacta, ut vix ejici possit, optimum est remedium hiera picra. Cui submittenda sunt repellentia, aq. rosac. cum ol. rosat. & aceto Oxyrrhodin. suprà descriptum. Roborandusque est ventriculus ol. mastich. nardin. spicæ, anethin, macis calam. arom. condit; ut nec minùs caput, piper. condit. Indic. syr. de ros. sicc. granat. Elect. arom. rosat. conserv. ros. antiquar. cortic. citri condit. corroborandum est.

CIV.

Ab hepate, si doloris materia fluat, explorata sanguinis

quanti-

quantitate vel ejusd. prava qualitate, interna dextri cubiti vena, quæ hepati per consensum respondeat, secanda est, humoris præparatione antegressa; syr. de eupator. endiv. pill. de agaric. aloe. Provocanda quoq; est hepatis refrigeratio, cichor. endiv. acetosell. borrag. cydon. malis & granat.

CV.

In obstructione hepatis, quæ sæpissimè sese repræsentat, in magno pretio habetur diarrhod. Abbat. tabulat. trochisc. de santal. Heurn. l. 2. prax. c. 17. hyssop. agrimon. cichor. eupator. absynth. fœnic. beton. & quæ ibi fusius persequitur, l. 2. c. 19. prædicat. Exhibenda insuper etiam sunt confortantia hepar, syr. de absynth. diamargarit. frigid. cinam. unguenta ex ol. caryoph. cinam. spicæ. Reliquar. a. partium curationem cuilibet sano suo judicio relinquimus.

CVI.

Deniq; etiam pensitanda est cephalalgia, ex ingenti casu, contusione, percussione, prolata. Ubi primò de inflammatione imminenti est cogitandum, quæ prohiberi poterit per venæ sectionem, suo certo loco, tempore & aliis circumstantiis probè revolutis, adhibendam. Deinceps localia, vid. styptica, medicam. & repellentia, qualia sunt aq. ros. ol. ros. myrthi, adjiciantur; ademtis capillis linimento pars dolens inungenda. ℞ succor. major. salv. ana. ℥j. aq. ros. ℥iij. vitell. ovor. no. 1. M. Parte inuncta, si dolor nondum à suo conatu desistat, pro hujus lenitione majori applicandum est exemplum, ℞. far. fabar. hord. ros. rubr. myrtill. ana. ℥ij. cum ol. ros. q. s. M. Quibus diætam & modum assumēdi omnia, cum in hisce, Hipp. dicente φαρμακία ἄριστον ponatur, omni cura & labore subjungere decet.

CVII.

Atq; hæc sunt, quæ pro temporis ratione & ingenii modulo. Divini Numinis gratia, exercitii ergò proferre placuerunt Si quæ igitur præter spem minus congruè à mea tenuitate fuerint deducta; veniam me esse impetraturum ab omnibus confido firmiter, perpendentibus illud, in nullo penitus aberrare, divinitatis potius, quàm humanitatis opus esse per quàm maxumum.

F I N I S.